

## 2 L. Cornelio L. f. Scipio | aidiles, cosol, cesor.

*Romae rep. una cum N. 4, nunc in museo Vaticano lapis litteris miniatis, non incisis (I 54. VI 1286; Ritschl tab. XXXVIII d).*

- 3 Honc oino ploirume cosentiont<sup>1</sup> R[omai<sup>2</sup>] duonoro optumo fuise viro<sup>3</sup>,  
 Luciom Scipione. Filios<sup>4</sup> Barbati,  
 consol, censor, aidilis hic fuet a[pud vos].  
 5 Hec cepit Corsica Aleriaque urbe<sup>5</sup>,  
 dedet Tempestatebus aide mereto<sup>6</sup> . . . .

*Romae rep. eodem loco quo N. 2, sed multo ante (anno 1614), nunc in aedibus Barberinorum, tabula ex lapide Albano (I 52. VI 1287; Ritschl tab. XXXVIII). — Carmen ita scriptum est ut singuli versus Saturnii etiam in lapide singulos occupent versus. Numeros constituere conati sunt Ritschl mus. Rhen. 9 p. 6 seq. == opusc. 4 p. 213 seq., Buecheler ind. schol. Bonn. 1876 aest. p. 6, Woelflin revue de phil. 1890 p. 113. — L. Cornelius L. Barbati f. Scipio consul a. 495 Corsicam cepit Aleriamque diruit, de Sardis Corsis Poenis triumphavit (Zonar. 8, 14; Flor. 4, 18, 46; fast. Capit. triumph., al., cf. Mo. C. I p. 18), censor fuit a. 496 (fast. Cap.). — 1) Similiter ‘unum hunc plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse virum’ habebat carmen incisum in sepulcro A. Atillii Calatini consulis a. 496. 500 (Cic. Cat. mai. 47, 64 cf. de fin. 2, 55, 116). — 2) Romani vel Romane suppleverunt Grotfendius et Mommensus, Romae vel Romai Sirmondus et Ritschelius. — 3) Post viro supplevit viroro Ritschelius (praeante Grotfendio) metri causa, sed refragante lapide, qui spatium vacuum illo loco praebet; versum ita ut traditus est tuerunt Buecheler et Woelflin. — 4) filiom flagitat Woelflin, iungens cum eis quae praecedunt — 5) pugnandos addidit Ritschl opusc. 4 p. 213, clasid Buecheler, qui versum etiam sine additamento defendi posse putat (ita etiam Woelflin p. 113). — 6) Versum ita ut traditus est tuerunt Woelflin, mereto lubenter Grotfend, meretod votam Ritschl opusc. 4 p. 217. Aedem Tempestatum a Scipione votam memorat etiam Ovid. fast. 6, 193.*

- 4 Quei apice insigne Dial[is fl]aminis gesistei, |  
 mors perfe[cit] tua ut essent omnia | brevia,  
 honos fama virtusque | gloria atque ingenium,  
 quibus sei | in longa licu[i]set tibe utier vita |,  
 5 facile facteis superases gloriam | maiorum.  
 quare lubens te in gremiu, | Scipio, recip[i]t  
 terra, Publi, | prognatum Publio, Corneli.

*Romae rep. una cum N. 4, tabulae quae olim effecerunt frontem sarcophagi, nunc in museo Vaticano (I 53. VI 1288; Ritschl tab. XXXIXf). — De carmine egit Buecheler ind. schol. Bonn. 1876 aest. p. 8. — P. Cornelius P. f. Scipio, flamen Dialis, iuvenis defunctus, alibi non memoratur (a nonnullis putatur esse filius Africani maioris memoratus a Cic. Cato mai. 44, 58, de off. 4, 53, 121, Brut. 19, 77 Vell. 1, 10).*

## 5 L. Cornelii L. f. P. [n.] | Scipio, quaist., | tr. mil., annos | gnatus XXXIII | mortuos. Pater | regem Antiooco | subegit.

*Romae rep. in sepulcro Scipionum, tabula ex sarcophago tophaceo (I 53)*